



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Vita Et Epistolae Ioannis Papae XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

VITA ET EPISTOLÆ

IOANNIS PAPÆ XIII.

ANNO
CHRISTI
965.Ioannes
XIII. quan-
do papa fa-
ctus ?

IOANNES Narniensis episcopus, post obitum Leonis pontificis pseudopapæ (viuente, an defuncto Benedicto quinto, incertum) factus est pontifex anno Domini 965. temporibus Ottonis & Nicephori Phocæ imperatorum. Qui cum initio pontificatus optimates Romanorum acriter fortasse quam oportebat insequeretur, eorum monitu ab Urbis præfecto captus, relegatus est in Campaniam. Sed dum imperatori Ottoni hæc innotuissent, ad vindicandam iniuriam pontifici illatam, ipse in Italiam profectus est, restituitoque Ioanne, de illius hostibus vindictam sumpsit istam. Præfectum Urbis viuentem curauit denudari, impositumque asino & vtre redimitum ad ludibrium circumduci, virgisque cædi, ac demum carceribus mancipari: cadauer defuncti præfecti, a quo Ioannes papa Vrbe eiectus erat, e sepulcro extractum in diuersa loca distrahi ac dissipari præcepit. *Regino.* Ad conuersionem Polonorum Ægidium Tusculanum episcopum legatum a latere misit, data illi potestate regem Miezislaum, qui per connubium Christianæ vxoris Dambrouuuchæ Bohemorum primi ducis filix conuersus erat, in fide cum populo stabiliendi, episcopatus erigendi, eaque faciendi quæ ad totius regni conuersionem populique instructionem pertinere videntur.

Per Ottonem ab exilio liberatur.

Polonos & Vandalos ad fidem Christi conuertit.

Idem ad conuertendos Vandalos, Villibaldum, Prochorium aliosque viros doctissimos emisit. Qui & Meifconem monarcham (verba Stanislai Orichouii apud Sanderum de visibili monarchia num. 695. refero) & genus nostrum illi subiectum sacri baptismatis vndis ab originali culpa abluerent, & ex ciuitate diaboli ablutos & mundatos in ciuitatem Dei transferrent, in Christi que ecclesiam dicarent: quod etiam factum est. Nam illi viri sanctissimi Vvandaliam (sive tu malis Poloniam dici) ingressi prædicabant nobis Christum & gratiam eius, qua nos in communionem suorum Deus conuocauerat, celebrabant: homines turmatim ad flumina confluentes baptizabant, ido-

Concil. Tom. 25.

R

la ex Vvandalia exterminabant. Ottonem iuniore magni illius Ottonis filium imperatorem coronauit. Roma cum imperatore Capuam profectus, Capuensem ecclesiam, eo quod se Roma fugatum honorifice excepisset, digneque habuisset, & ab insidiis Pandulphi principis Capuani fideliter custodiuiisset, archiepiscopatus dignitate gratitudinis ergo insigniuit. His peractis contigit, cum ad Urbem reuertisset, primariam Lateranensis ecclesie campanam, miræ magnitudinis recens fusam, super campanile eleuari, quam primum idem pontifex sacris ritibus Deo consecrauit, atque nomine Ioannis Baptistæ haud dubie, cui ipsa ecclesia dicata erat, nuncupauit. Agnoscunt illud & redarguunt nouatores hæretici, quasi ille hoc suo exemplo posteros omnes pontifices & episcopos in illum errorem induxisset, vt campanis sacramentum baptismatis impendendum esse crederent & docerent: sed falluntur imperiti; cum non tam baptizentur, quam præuia benedictione sacrisque ritibus, sicut etiam alia vasa sacra, cultui diuino dicentur & consecrentur: in qua consecratione imponuntur iis nomina, vel vt a ceteris campanis discernantur; vel saltem, quod magis ad pietatem conduce-ret, si voce alicuius sancti populus ad ecclesiam conuocari diceretur.

Capuensem
ecclesiam
honorauit.

Campanæ
quam diui-
no cultui
consecraue-
rat nomen
Ioannis Ba-
pistæ cur
imposuerit.

Redargu-
untur No-
uatores.

Ad Theophanem Nicephori imperatoris orientalis filiam Ottoni imperatori iuniori desponsandam legationem misit, qua functus est Luitprandus Cremonensis episcopus. Sed cum Nicephorus coronatione duorum Ottonum grauius exacerbatus huic legationi nihil detulisset, sed Græca tamen fide sub falso prætextu nuptiarum legationem ipse ad Ottonem remisit, nuntians illi vt nuptias pararet; se cum filia breui adfuturum. Cumque hac occasione exercitus Ottonis in nuptiis parandis occuparetur, orientales ex improviso militem imperatoris aggressi eundem magna strage fugarunt: verum quando ea victoria elati secundo eundem exercitum aggredierentur, innumera multitudo hostium cæsa fuit. Contigit hac de causa Nicephorum interfici, eique Ioannem quemdam cognomento Zemiscas ad imperium eleuari. Qui paulo post quam imperator factus esset, occisi imperatoris Nicephori filiam ad Ottonem misit, quam ipse, vt ait

Ottonis
exercitum
qua fraude
Græci fu-
garint.

Theopha-
nes Græca
Ottoni de-
spōsatur, &
a Ioanne
papa coro-
natur.

Vvirichindus, statim filio tradidit, celebratisque magnifice nuptiis omnem Italiam super hoc & Germaniam lætiores reddidit. Eamdem a Ioanne papa coronatam imperatricem fuisse testatur Sigebertus.

Per catenam sancti Petri arreptitii collo circumdatam dæmonem expulit. In Magdeburgensi ciuitate recens ab Ottone condita primum episcopū Adelbertum constituit. Cumque sedem apostolicam annos sex, menses vndecim & dies viginti quinque tenuisset, viii. Idus Septembris obiit. Sepultus est in basilica sancti Petri, vt videre est in epitaphio quod extat apud Baronium anno 972. num. 1.

Ioannes
papa dæ-
monem
eicit.

EPISTOLA I.

IOANNIS PAPÆ XIII.

AD EPISCOPOS CITERIORIS BRITANNIÆ.

Vt archiepiscopo Turonensi debitam reuerentiam exhibeant.

Ioannes episcopus seruus seruorum Dei, episcopus Romanæ urbis, in Christo fratribus vniuersis episcopis citerioris Britanniae salutem in Christo & visitationem.

QVIA vice beati Petri apostolorum principis, Domino Deo dignante, omnium ecclesiarum curam suscepimus, sollicitudinem, qua vniuscuiusque fides integra in eodem Domino reseruetur, sine qua nullus ei placere valebit, vbique seuerè obseruare debemus. Ideoque notum fit vobis, quoniam carissimus frater noster Arduinus, sanctæ Turonensis ecclesiæ archiepiscopus, veniens ad apostolorum limina Romam oratum, interpellauit nos, quod iura sui archiepiscopatus, quæ ab antiquis temporibus per decreta sanctorum pontificū sanctæ Romanæ matris ecclesiæ suis prædecessoribus concessa & confirmata fuerunt, a vestro archiepiscopo, & suis decessoribus, per violentiam, & paganorum Northmannorū contrarietatem sublata videntur. Vnde apostolica auctoritate vobis sciatis esse interdictum, ne illius vllomodo iuri resistatis deinceps de omnibus quæ prædictus archiepiscopus confirmat archiepiscopatu suo pertinere debere, quousque ille vester archiepiscopus, aut aliquis ex vobis, cum Arduino archiepiscopo,

Concil. Tom. 25.

R ij

siue cum suo suffraganeo, vel alio fideli misso, ad nostram sanctam ecclesiam matrem veniat: vt ibi percognitis causis inter vos & illum, quod æquum comprobabimus diffiniatur ad laudem Dei & Domini nostri Iesu Christi. Quod si aliter quam quod iubemus contra voluntatem eius feceritis, cognoscatis vosmetipsos Dei & beati Petri principis apostolorum, per nostræ humilitatis mandatum, auctoritate excommunicatos ab omni ecclesiastico officio. Quod si vero debitam reuerentiam circa prædictum fratrem nostrum obseruare vobis placuerit, secundum iustitiæ decretum a sancta Romana ecclesia statutum, permaneat cum Dei benedictione in vnitatem nostræ catholicæ communionis. Inter hæc sciant vestri regni homines, maxime nobiliores, nominatim Berengarius, & filius suus Conanus & Hoel cum fratre suo Guerech, cum ceteris maioribus, vt si contra iustitiam inobedientes fuerint huic nostræ iussioni, & contrarii seu rebelles extiterint prædicto fratri nostro Turonensi episcopo, sint & ipsi excommunicati, & nostra benedictione apostolica priuati.

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

Epistola I. Ioannis XIII.] Meminit huius epistolæ Innocentius III. libro II. ad Bartholomæum Turonensem. Quotus numero Ioannes hic fuerit vetus exemplar non exprimit. Nos ex Arduini Turonensis archiepiscopi ætate Ioannem XIII. coniecimus. Quod si exploratum non est, verisimilius certe, quam vt ex aliorum sententia Ioanni X. tribuatur, cui conuenire non potest.

EPISTOLA II.
IOANNIS PAPÆ XIII.

AD EDGARVM REGEM ANGLORVM.

De episcopatu Vvintoniensi expellendis clericis,
& introducendis monachis.

Ioannes episcopus seruus seruorum Dei Edgardo regi excellentissimo, atque omnibus episcopis, ducibus, comitibus, abbatibus, & cuncto fideli populo Anglicæ gentis, Christianam salutem & apostolicam benedictionem.

QVONIAM semper sunt concedenda quæ rationalibus quæruntur desideriis, oportet vt vestræ piæ petiti-

nis studium in priuilegiis minime offendatur præstandis. Scimus enim, gloriose fili, imperii vestri dignitatem zelo diuinæ legis ita vndique munitam, vt indefinenter pro venerabilium locorum percogitet stabilitate; quatenus proueniente pro labore schola dominici multiplicetur seruitii, & largitori omnium Deo abunde fructus referantur milleni. Quare, rex inclyte ac fili carissime, quod vestra excellentia per fratrem & coepiscopum nostrum Dunstanum ab hac apostolica sede, cui licet immeriti præfidemus, exposcit, omnibus modis concedimus, auctoritate apostolica sancientes, vt de monasterio in Vvintonia ciuitate, in honorem sanctæ Trinitatis & beatissimorum apostolorum Petri & Pauli constructo, quod vetus differentia noui illius quod iuxta est cœnobii cognominatur, canonici, Domino, episcopo & omnibus catholicæ fidei cultoribus ex patentibus culparum suarum turpitudinibus odibiles, & in eisdem secundum impœnitens cor eorum inuerecunde perdurantes, cum suo præposito, vtpote vasa diaboli eiiciantur, & sicut vestra sublimitas desiderat, dilectissimus frater & coepiscopus noster Ethevaldus, regularibus disciplinis apprimè imbutus, monachorum secundum præcepta regulæ viuientium gregem enutriat, eisque inibi perpetuam mansionem statuatur ille: qui eorum vitam ita sanctitatis moribus exornet, vt pastore ad laboris sui præmium vocato, non aliunde quam ex illa congregatione alteri in locum regiminis succedat. Quod si impediētibus, quod absit, peccatis ad hoc pontificale officium in eadem congregatione idoneum inueniri minime posse contigerit, auctoritate apostolorum principis Petri, cui Dominus ac Saluator noster ligandi soluendique potestatem contradidit, præcipimus vt nemo ex clericorum ordine ad huius regimen ecclesiæ promoueatur, sed potius ex alia qualiter congregatione qui dignus inuentus fuerit monachus assumatur, & huic ecclesiæ præficiatur. Si quis enim interea, quod non credimus, hæc apostolicæ sedis priuilegii decreta irrita facere, & ea quæ nobis pie indulta sunt intaminare præsumperit, auctoritate eiusdem cælestis clauigeri Petri omniumque successorum eius sciat se anathematis vinculo innodatum, & in illo magni iudicii die perpetualiter damnandum. In Christo valeas, domine fili.

R iij